DE VARICELLIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XI. M. MARTII A. MDCCCXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
LEOPOLDUS FRIDERICUS WEISE
SWINEMÜNDENSIS.

OPPONENTIBUS.
J. RUDOLPH MED. DR.
C. LINDEN MED. DR.
F. BELTZ MED. DD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO AD CINERES USQUE

COLENDO

CAR. FRID. WEISE

EXERCITUS REGII BORUSSICI MEDICO

SUPERIORI

HASCE

STUDII SUI PRIMITIAS EX

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

am diu variolarum varicellarumque discrimen, 1od medico cuique tanti momenti esse oportet, ccupatum me tenuit, et omnino mihi etiam, ii nuperrime illud observandi occasio data erat, ravissimum, minimeque negligendum, videbaır, praesertim, cum ex utriusque exanthematis onfusione magni prodire possint errores, qua re lductus, hanc rem ad dissertationem meam in-1guralem elegi, eamque, quam luculentissime actare conatus fui.

Ceterum a vobis, Lectores Benevoli, ut oc primum scribendi rudimentum non acerbe dicetis, etiam atque etiam peto. Valete.

Definitio et conspectus variolarum historiae.

§. 1.

Variolae, pustulae parvae ac rotundae, pisorum magnitudine, sunt exanthemata peculiaria, acuta, contagio proprio orta, quae paulatim surgunt, suppurant, exsiccantur et transformationum hanc seriem certo tempore percurrunt 1).

§. 2.

Variolas novum esse morbum, id est, antiquis medicis, tam Graecis quam Romanis ignotum, extra dubium esse videtur. Ex Arabum medicorum scriptis prima huius morbi notitia petenda 2), Rhazes enim anno nongentesimo aerae Christianae, inter illos praecipue excellens, in

---

1) Reil über die Erkenntniss u. Cur der Fieber Bd. 5. §. 52.

2) Rich. Mead de variolis et morbillis pag. 8.
G. van Swieten commentaria in Hermanni Boerhaave aphorimos Tom. V. pag. 2.

volumine, cui nomen „Continens“ est, ab Aarone quodam triginta libros de medicina scriptos esse, tradidit, in quibus variolarum signa, genera diversa et curandi modum explicuerit. 1). Ille Aaron, Alexandriae natus, Muhamede imperante, anno DCXXII medicinam exercuit. 2) Hinc coniecit Freindius, ex Aegypto fortasse variolarum morbum esse profectum; 3) paulo antiquiorem vero originem eius reperit Reiske, qui in vetere Arabico codice manuscripto bibliothecae Leidensis haec se legisse, dicit: „hoc demum anno comparuerunt primum in „terris Arabum variolae et morbilli 4).“ Est autem ille annus, cuius Reiske mentionem facit, quingentesimus septuagesimus nonus p. c. n., quo Muhamedes ipse natus est. Quamvis Hahn variolarum morbum iam Hippocrati innotuisse putet 5), tamen ab illa sententia non desciscunt, quae Werlhoff, 6) Sarcone, 7) Paulet 8) Gruner 9) aliique de variolarum antiquitate collegerunt.

---

1) Rhazes Continens 419. 2.
2) Abulpharai Histor. pag. 99.
3) Freind epistolae de purgantibus in variolis pag. 76.
4) Disput. inaugural. Lugduni Batav. MDCCXLVI.
5) Variol. antiquit. Wratislaviae 1734.
6) Disquis. med. de variolis et anthracibus.
7) Del contagio del vajuolo. Napoli 1770.
8) Histoire de la pet. verole.
9) Fragm. med. Arab. et Graeca de variolis.

Illis temporibus, quibus bella cum Saracenis ad Terram Sanctam in Christianorum potestatem redigendam, gerebantur, vires illius perniciosissimi morbi auctae sunt, quo facto, Europaei domum transtulerunt contagium 1).

Definitio et synonyma varicellarum.

§. 3.

Est vero in exanthematibus ad variolas relatis, maxima differentia, aliae enim verae aliae spuriae s: varicellae dicuntur.

Varicellae sunt exanthemata acuta, variolis similia, vel pustulae, plerumque puris expertes, quae tamen breviori miuusque certo spatio, quam variolae, decurrunt.

§. 4.

Synonyma varicellarum, quibus scriptores in variis linguis utuntur, sunt: 2) variolae lymphaticae 3), varicellae 4), variolae crystallinae, 5)

---

1) Mead l. c.

2) Muhrbeck dissertatio de variolis spuriis Götting. 1794 pag 1.

3) R. A. Vogel acad. praelect. de cogn: et curand. praec. c. h. affect. Goetting. 1772. §. 128.
Sagar systema morb. symptomaticum Cl. X. ord. 1. gen. 2. spec. 1.

4) W. Cullen Synops. nos. meth. Tic. Reg. 1787. — cl. I.

5) Burserius de Kanifeld Inst. med. pract. Lips. 1787. Vol. II. cap. 9. pag. 324.

simplices crystallinae 1), aquosae, 2) fatuae, 3) impropriae 4), illegitimae, 5) volaticae, 6) pustulae rubeolosae, 7) adulterinum variolarum genus 8), pemphigus variolodes 9).

In vernacula: Unaechte-Falsche-Wilde-Hunds-Hühner-Schaaf-Wasser-Wind-Schwein-Spitz-Stein-pocken 10).

In anglica: chicken-pox, 11) swine- pox 12).

In franco-gallica; petite verole volante, verrette, verolette. 13).

---

1) Macbride Introd. method. — Basileae 1783. T. II. cap. XIII. p. 78.

2) R. A. Vogel l. c.

3) Oosterdyk Schacht. Inst. med. pract. p. 51.

4) Ioannis Anglici de Gadesden rosa anglica. vid. Gruner Fragm. de variol. et morbillis p. 13.

5) Burserius l. c.

6) S. G. Vogel Handb. d. pract. A. W. Stendal 1788 T. III. p. 109.

7) Huxhami opera physico med. cur. Reichel T. I. p. 58.

8) Thom. Sydenham Oper. med. Genev. 1769 T. 1. Sect. 3 cap. 2. p. 79.

9) P. Frank de curand. hom. morb. epitome T. III. p. 269.

10) S. G. Vogel. l. c.

11) Eding. med. ess. Vol. II. art. 2.

12) Heberden vid. Arzn. Abh. v. d. Colleg. d. Aerzte zu London Bd. 1. p. 333.

13) Sauvage Nosol. meth.— Cl. III. Ord. 1. gen. 2. spec. 1.

In italica: vajuolo adulterino 1), vajuolo salvatico, ravaglione, morbiglione, 2) schiopetti 3).

Varicellarum varietates.

§. 5.

Secundum formam tria varicellarum genera distinguenda sunt 4).

Primum genus lymphaticarum, aquosarum et flatuosarum, chicken-pox, petite verole volante, verolette 5), Wasser und Windpocken, pustulas exhibet discretas, genuinis simillimas, modo maiores, modo minores, quae saepe in vertice, ut variolae verae, foveam habent 6).

Humorem continent tenuem, albicantem ac mucosum. Saepius humor in illis secretus rursus absorbetur, et tum pustulae, omni liquore vacuae, vesiculas referunt rotundas, molles et concavas, varicellas flatuosas, quae forsan varietas siliquosarum est Freindii 7).

---

1) Mich. Sarcone v. d. Kinderpocken. — a. d. Ital. uebers. von L. F. B. Lentin. Götting. 1782.

2) Fanton diss. de antiq. et propr. febr. miliar. p. 65.

3) C. B. Fleisch Handb. der Kinderkrhten Leipz. 1804. Bd. 2. p. 78.

4) R. A. Vogel l. c.

5) Riverius Prax. Med. Cap. II.

6) A. G. Richter specielle Therapie Bd. 2. pag. 343.

7) Freindius epistolae de quibusdam variol. generibus

§. 6.

Secundum genus, acuminatarum sive verrucosarum, Steinpocken, Spitzpocken, Hundspocken, papularum rubrarum formam refert, in quibus nullus humor, quae indurescunt et verrucis simillimae, supra cutem prominent. Fovea in vertice pustulae nunquam reperitur.

§. 7.

Tertium genus, varicellarum ovalium, Schweinspocken, post aliquot plerumque dierum febrem tubercula format obscurius rubentia, dura, ad ovalem figuram accedentia, halone rubro cincta, genuinis variolis paulo maiora; post duos vel tres dies haud multum ulcerantur, paulatim exarescunt et subsident. Hoc genus in ulcera malígna, corrodentia nonnunquam transit, et saepius quam in prioribus cicatrices in cute relinquit.

§. 8.

Willan varicellas in lenticulares, (the chicken-pox) conicas (the swine-pox) et globatas (the Hives) dividit, quae et illi divisioni Vogelii congruit 1).

---

1) R. Willan on Vaccine-Inoculation. London 1807. 4. übers. von Mühry pag. 62.

His divisionibus illa, qua Cross nuper usus est, adiicere licet: in cellulosas, cum cellae adsunt, et in bullosas, cum vesica non separata invenitur 1).

Decursus varicellarum.

§. 9.

Varicellae ratione formae externae et decursus saepius inter se discrepant, prout figura modo variolis similiori, modo magis aliena gaudent, et breviori vel longiori, mitiori vel vehementiori decursu, plus minus ad variolas spectant.

§. 10.

Solitus decursus hic est: Febris, plerumque mitissima, interdum omnino deficit, sequens vero, tussis catarrhalis ac capitis dolores comitari solent. Contingit quoque saepissime, ut teneriores et maiori sensibilitate gaudentes, gravioribus symptomatibus, angore, praecordiorum oppressione, nausea, vomitu, deliriis, convulsionibusque afficiantur.

Pustulae die secundo, stigmatibus rubris similes, minime vero tam legitime, quam variolae

1) A History of the variolous Epidemic which occurred in Norwich in the year 1819 etc. By Cross. vid. Salzb. med. chir. Zeitung Bd. 3. 1821. pag. 29 etc.

efflorescunt, sed modo in facie, modo in dorso et cruribus primum erumpunt. Celerrime enatae, ac lympha et latice puri simili repletae, quarto iam die exsiccantur. Ceterum paucis post eruptionem diebus, aliae plane maturae, plenae atque exsiccescentes esse, aliae tum primum nasci videntur 1).

§. 11.

Varicellae non omne corpus, ac idem plerumque semel tantum, attamen rarius etiam iterum iterumque, (quamvis alia earum species tum inveniatur) invadunt 2).

Saepius ante vel post variolas, etiam una cum his, nunquam autem ita, ut aliquem a variolis securum reddant, occurrunt; infestantur verum quoque, qui variolis iam antea laborarant, earumque cicatrices secum ferunt 3).

Pari modo variolae vaccinae a varicellarum contagio haud tuentur. Varicellae non solum sunt contagiosae, sed etiam variolis multo facilius homines inficiunt 4).

---

1) A. Henke Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten 3te Aufl. Bd. I. p. 360.
2) Stieglitz in Horns Archiv Iahrg. 1809. Bd. 3. p. 227.
3) Schmalz Diagnostik 3te Aufl. Tab. 87.
4) Heim in Horns Archiv Iahrgang 1809 Bd. 2. p. 202.

§. 12.

Petrus Frank varicellarum decursum hunc esse, dicit: 1)

„Vesiculae sub febre mitiori secunda iam die, ut plurimum in dorso, apud alios in facie, nunc simul, nunc impetu diviso, discretae erumpunt, et ad pisi magnitudinem, late circa marginem rubrae, citissime excrescunt. Post nychthemeri fere spatium iam seroso replentur ac turgent liquore, nunc pellucido, aquoso, nunc flavo, nunc puriformi; quarta aut quinta fere die rumpuntur, brevique crusta obtectae, hanc ipsam tam cito abiiciunt, ut vix unius hebdomadis, aut minori intervallo, iam omnis (non praeservans interim a variolis) aegritudo terminetur, nec foveas nisi raro in cute relinquat.“

§. 13.

Decursum illum quandoque mutari, medicorum observationes nos edocent.

Non semper febris est tam mitis, saepe iam secundo vel tertio die ante eruptionem adest, et usque ad tertium eruptionis diem persistens, corporis lassitudine, somnolentia, anorexia, siti, cutis ardore, malarum rubore fugaci, tussi vehe-

---

1) I. P. Frank. l. c. p. 269.

nenti, faucium dolore, lingua muco viscido albo btecta, concitatis, inaequabilibus pulsibus, capi-s, dorsi, artuum, interdum etiam viscerum et ntestinorum doloribus, vomituritione, bilioso omitu 1) et deliriis et nervorum distentionibus cipatur 2).

§. 14.

Illam etiam opinionem, qua varicellae tuto eleriori decursu a variolis distingui posse dicun-ur, refutavit Heim, qui varicellarum speciem a-quam, non solum variolarum faciei formaeque imillimam, sed etiam, quoad decursum, non ali-n, imo tardiorem observavit. Quae species sae-us efficit, ut varicellae cum variolis confundan-r, repetitae etiam in eodem homine variolae, ut variolae verae post variolas vaccinas exortae, bserventur 3).

Illius speciei decursum Heim ita exponit:

1) paucis diebus ante febrem exortam, pueri nt languidi, tristes, morosi, oculi lacrymantur, somno expavescunt, iactantur atque ciborum stidio laborant.

2) Febre, quae nonnunquam benignis va-olis mitior est, accensa, nausea, vomendi cona-

---

Willan l. c. p. 65. Henke l. c. §. 364.

Mumssen in act. soc. Havn. T. III. p. 33.

Heim l. c.

tus, tumida facies, deliria blanda, oculi rubri, sitis aliaque id genus inveniuntur. Biduo vel triduo sic praeterlapso,

5) exanthema efflorescit, primum faciem, tum ceteras corporis partes invadens.

Quod eruptionis stadium duo vel tria nychthemera amplectitur.

Quae pustulae non modo in corporis ambitu, sed intus etiam in faucibus, pharynge, in lingua et in oculis ipsis inveniuntur.

Heim pustulas in puellularum superficie genitalium interna atque in puerorum glande et praeputii facie interna, ita, ut vehementem balanitidem ac phymosin genuerint, deprehendit. Vola manus, ipsaque planta pedis interdum pustulis sunt impletae.

Plerumque exanthema paulatim exsurgit, satisque est tactu durum; fovea in media pustula exsistens efficit, ut haec pustularum species vix a variolis discerni possit.

Pustularum plurimae magis magisque efflorescentes, rotundantur, partim limpido, fere pellucido, partim albo atque obscuro replentur humore, rubroque halone sunt cinctae.

Stadii suppurationis tempus non semper est idem, modo enim usque ad quartum vel etiam ad sextum diem producitur, modo decem dies vel plures etiam praeterlabuntur, antequam crusta

ormatur. Contingit vero quandoque, ut pustu-e enatae nono demum imo decimo quinto die xsiccentur, crustaeque ipsae nonnunquam per cto et quatuordecim dies, quin etiam per tres ebdomades persistunt.

4. Quae quidem pustulae omnibus in corporis partibus cicatrices, nunquam autem tam ultas, quam variolae relinquunt. Illaeque ma-lae, quae crustis delapsis remanent, per lon-um tempus etiam inveniuntur.

5. Raro quoque pustulae non in crustas sed chronica ulcera mutantur. 1)

iscrimen inter varicellas ac variolas.

§. 15.

Saepe varicellas a variolis distinguere facilli-um est. Attamen varicellae quandoque forma, cursu et symptomatibus parum a variolis dif-unt, ita, ut alterum exanthema facile cum al-o confundatur, sic ut magni intersit ad diag-sin utriusque morbi firmiori fundamento sta-iendam.

Heim haec varicellarum variolarumque dis-mina affert:

---

1) Heim l. c.

„1. Varicellae proprium atque omnino alium quam variolae odorem, qui tamen verbis exprimi non potest, spargunt.

„2. Varicellae non solum sunt contagiosae sed etiam multo magis contagiosae, quam variolae, ideoque in omnes eiusdem familiae infantes, ipsosque adultos invadere solent; variolae vix unquam.

„3. Varicellarum exanthema statim ab initio ex omnibus corporis partibus, variolarum vero primum ex facie, tum e manibus et ita sensim sensimque e brachiis, pectore ac denique e cruribus pedibusque erumpit.

„4. Tertio die praeterlapso, variolarum eruptio iam perfecta, varicellarum autem pustulae saepe postea etiam exsurgunt.

„5. Varicellarum exanthema valde prurit, singulisque stigmatibus color est saturate ruber; variolae efforescentes maturescentesque, quibus color lucidior, magis ardent, puerique ante exsiccationis stadium nunquam scabere solent corpus.

„6. Varicellarum plures pustulae non in altitudinem consuetam excrescunt, rite nec assurgunt nec pus colligunt; conspicitur ut plurimum in ipsis latex aquosus limpidusque, plurimae pustulae in facie, pauciores in ceteris corporis partibus, atque inter decem aut viginti e vola manus,

anta pedis atque ore proficiscentes, vix una vel
ae replentur, pustulae variolarum vero omnes
re vero, et quidem in artubus ipsis.

„7. Varicellas febris secundaria semper, eti-
ısi quam plurimae sint refertae, variolas, mi-
s etiam frequentes, nunquam deficit.

„8. In varicellarum eruptione facies tumes-
, in variolis vero erumpentibus minime;
ptione varicellarum peracta, etiam tumor eva-
scit, in variolis tum primum nascitur.

„9. Varicellarum pustulae rite excultae,
lles, non elasticae sunt; figuram semigloba-
ı, piso dimidiato, in cute collocato, haud dis-
ilem ostendunt, ideoque in cutis superficie
ulum fere rectum, variolae autem ovatae, an-
ıum acutiorem in cute formant. Varicellarum
tula, acu aperta, latex tarde, pustula autem
ter laesa, nullus effluit, et nunquam iterum
etur; variolae vero etiam leviter laesae, pus
iunt ac denuo replentur. Varicellae nunquam,
olae saepe per se rumpuntur, etiam hae plus
tinent humoris. Cutis in qua varicella posita
nunquam exsurgit, omnino autem illa vari-
um, atque haec convexitas diu remanet, eti-
i crusta iam deciderit. Varicellarum humor
quam puri tam similis, crassus tenaxque est,
n variolarum, sed fluidus lactineusque. Va-
rum crustae sunt densiores atque ovatae, va-

ricellarum tenuiores rotundioresque. Maculae rubrae remanentes nunquam tam diu in veri[s] [varicel]lis, quam in variolis conspiciuntur; varicellarum cicatrices semper sunt pauciores, variolarum vero si quas reliquunt, plurimae. Ex omnibus fere varicellis homines cicatrices servant, variolae vero, quamvis plurimae confluentesque, saepius nullas relinquunt. 1)

§. 16.

Stieglitz gravissimum, inquit, inter varicellas variolasque discrimen, hoc est:

Variolae notas atque constantes periodos sequuntur, certis in stadiis rite percurrunt mutationes, minime autem varicellae, quarum stadia ita coniunguntur, ut, quamvis pustulis nonnullis iam repletis, novae efflorescant; addit praeterea, varicellas, etiam mitiores, praecipue capillatam capitis partem aggredi. 2)

Sprengel inquit, varicellae axillarum quoque doloribus carent, qui adeo graves sunt in variolis. Ordo eruptionis alius est in veris, in spuriis alius. Illae enim primitus in facie et pectore, hae vero in dorso fere et membris nascuntur

1) Heim l. c. p. 209.
2) Stieglitz l. c. p. 198 etc.

ariolae spuriae discretae aut singulares sunt: unquam confluere, nunquam numero satis freuentes esse consuerunt. Plerumque paucis ho-s, uno saltem die, omnis omnino eruptio abolvitur. 1)

Willan commemorat, tertio vel quarto die ıgosam et plicatam pustularum non ruptarum ciem, ceterarumque sulcos radiatos, quarum erti apices levi incrustatione sunt clausi, certa ıricellarum esse signa, quibus a variolis solidis stinguantur. 2)

Ioannes Cross genuinarum variolarum diagosticum, quo ab aliis pustularum speciebus, on divisis, disiungantur, signum illas esse cellas, in quas pustulae sint divisae, putat. Varillas cellulosas, laticem in cellulis separatis conıentes, quae species variolas inducere possit, varicellas bullosas, laticem in bulla, quae falime aperiatur, complectentes, e quibus nunıam variolae proficiscantur, disterminans, illud gnum variolarum diagnosticum, quod etiam vaellis tribuit, tollit 3).

Curtii Sprengel institutionis medicae Tom. IV. §. 343 — 44.

Willan l. c. p. 68.

I. Cross. l. c. p. 59.

§. 17.

Diversae sunt quoque variolarum varicellarumque cicatrices, quarum cognitio, praecipue exanthematis decursu haud satis accurate observato, vel illo alio putato, et diiudicanti: an quis superiori tempore varicellas variolasve sustinuerit, magni est momenti.

§. 18.

Utriusque exanthematis pustulae, in decursu non impeditae, cicatrices genuinas, excultas, utrique speciei proprias, relinquunt.

Cicatricum distinctio ceterum cognitionem accuratam, usum repetitum, magnamque curam expostulat.

Utriusque speciei cicatricibus excertissima accuratissimaque Heimii explicatione haec sunt signa:

„1) Varicellarum cicatricum basis est alba et quidem cute albidior, atque, ut ovi testa, laevis; variolarum nunquam cute albidior, atque, ut citreum malum scabra. In varicellarum cicatricibus puncta scrobiculique non conspiciuntur, omnino autem in variolarum, quibus duo vel tria, quantoque maiores, eo pluria puncta sunt nigra.

„2) In varicellarum cicatrice, in parte pilosa, v. c. superciliis, capite, mento aliisque relicta,

ili nunquam, attamen haud raro in variolarum icatricibus, e quibus interdum duo vel tres etiam ili germinant, observantur.

„3) Varicellarum cicatricum margo haemishaericus ac laevis est, cutis colorem accipit, et d fundum invisibilem fere format recessum, ita, t albus cicatricis fundus subconvexus videatur. Jonnunquam etiam reperiuntur, praecipue in dultis, qui pueri varicellis laborarant, cicatrices, uarum margo, rarissime quoque fundus, scaber t quasi rugosus est.

Talis si cicatrix distrahitur, rugae evanescunt. 'ariolarum cicatricum margo a solito cutis colore on diversus, plus minusve semper sulcatus, funus vero concavus, cicatricique vicina cute, quam naxime pansa, fundus nec prorsus laevis nec aeualis est, cicatrix autem distracta lineas ostendit enues.

4) Varicellarum cicatrices rotundae esse soent, interdum tamen sunt ovatae, et raro tanum aliam praebent formam. Eiusmodi cicatries angulatae, nullae, nisi duarum pustularum, uae confluxerant, sunt. Variolarum cicatrices aro tantum rotundae ovataeque, sed inaequales, ulcatae atque angulatae sunt.

5) Varicellarum cicatricum altitudo et pro arte, cui inhaerent, et pro aetate differt. In ollo, facie, praecipue autem in fronte ac alis

altissimae, multo planiores in brachiis, dorso, in abdomine et pedibus reperiuntur. Cicatricum, quae per decem vel viginti annos adfuerunt, omnis saepe altitudo evanescit, ipsaeque cum cute formant superficiem, et albus etiam fundus, praecipue in ventre ac dorso, exsurgit. Varicellarum cicatricum altitudo, aetate progrediente magis magisque extenuatur, ac saepissime, ne minimum quidem vestigium relinquentes, decedunt.

6) Varicellae nunquam multas, raro ultra viginti, saepe unam tantum, derelinquunt cicatrices, quae creberrimae in vultu, supra nasum, in hoc ipso atque in fronte conspiciuntur, multo pauciores in brachiis et cruribus, in abdomine et dorso reperiuntur. Si vero hisce in partibus reperiuntur, numerus earum saepissime est maior, quam cicatricum in facie. Variolae permultas innumerabilesque efficiunt cicatrices, quarum plurimae in facie ac manibus haerent, ventris autem ac dorsi cicatrices sensim sensimque omnino evanescunt.

7) Cicatrices, quas cutis laesiones fortuitae, ulcuscula, pemphigus, erysipelas, zoster, verrucae cauterio potentiali sublatae, hirudinum morsus, unguenti e tartaro stibiato inunctio, varicellarum cicatricibus interdum simillimae, eo dif-

erunt, quod semper tactu duriores, varicellarum ero molliores sunt. 1)

De varicellarum origine.

§. 19.

Varicellas, ut variolas, ex specifico nasci conagio, quod eodem fere tempore exortum est, suo tique fundamento constat.

Insitione propagantur, imo variolis multo failius inficiunt. Variolas saepe antecedunt, rarius equuntur, rarissime una cum illis saeviunt. mnes, sive variolis iam laborarant, sive eas ondum sustinuerant, invadunt, semel vero vicie, ad eundem hominem rarissime redeunt. Heerden hominibus, qui varicellas iam perpessi eant, iterum eas insevit, attamen vulnera sine fectionis signo solidata sunt 2).

§. 20.

Varicellarum contagium a variolarum contaio differre, haecce documenta esse videntur:

„1) Saepe nec ante variolarum epidemiam, ec illa durante, nec post eam varicellas invenius; ex altera autem parte varicellae, variolas ec sequentes nec antecedentes, occurrunt.

---

1) Heim l. c. p. 220.

2) Reil l. c. Bd. 5. §. 76.

„2) Varicellae, si contagium debilitatum eas procrearet, ut summae utriusque exanthematis convenientiae defensores contendunt, certe post variolas, harum contagio ita invalido, ut varicellas tantum genuere posset, orirentur, rite autem variolas antecedunt, unde igitur illud contagium debilitatum petendum!

„3) Variolarum contagium vires amittens vel corruptioni appropinquans, tamen varicellas inducere, dicitur; huic vero sententiae varicellae magis contagiosae obstant.

„4) Variolae non tam crebrae nunc reperiuntur, varicellarum epidemiae contra hoc tempore eodem, quo ante vaccinarum insitionem detectam, gaudent vigore.

„5) Quomodo fieri posset, ut homines, variolis iam victis, varicellis inficiantur, si earum contagium magis esset debilitatum.

„6) Saepissime variolarum contagium debilitatum insitum nullas vel non satis excultas variolas, minime vero varicellas progenuit.

„7) Variolas vaccinas, si cui, brevi ante varicellis infecto, inserantur, haecce vero nunc progerminent, manere, dum varicellarum decursus sit perfectus, inter omnes constat. Multo secius invenitur, cum variolae et vaccinae contagium idem corpus simul invadit; tum utriusque morbi

processus eodem tempore absolvitur, quamquam se invicem afficiunt modificanturque. E quibus omnibus utriusque huiusce morbiindolem intelligere poteris. Varicellae, si variolarum species essent, certe etiam a variolis vaccinis haud multo distarent, earumque decursumnon impedirent.

Denique vaccinarum insitio non a varicellis defendit 1).

Varicellarum therapia.

§. 21.

Varicellarum morbus, plerumque benignus ac periculi expers, nullorum fere eget medicaminum. Nihil, nisi morbo orto, regimine antiphlogistico, postea diaphoretica cura et denique cathartico levi opus est.

Vomituritio, vomitus et, exanthemate efflorescente, convulsiones, haud magni sunt momenti. Ceterum tam illa quam febris, si adest, modificationes ex notis tractantur regulis. 2)

---

1) Stieglitz l. c. p. 230.

2) Richter l. c. p. 353.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Leopoldus Fridericus Weise, Swinemündae, Pomeraniae oppido, IX. Cal. Febr. anni MDCCXCIV. natus, patriae scholam frequentavi, ibique literis, quae studiis academicis viam munire solent, eruditus sum.

Anno millesimo octingentesimo duodecimo Berolinum me contuli, et in alumnorum seminarii medico chirurgici militaris numerum receptus, per quadriennium in utriusque medicinae studia incumbens, et per annum munere chirurgi in nosocomio caritatis Berolinensi fungens, medicinae, chirurgiae artique obstetriciae exercendae, vacavi.

Postea in cohorte duodecima pedestri, quae Galliam tunc temporis tenebat, chirurgi officia suscepi.

Hinc, ad medicorum et chirurgorum Gallicorum curandi methodos cognoscendas, Lutetias Parisiorum petii.

Inde Berolinum revocatus et ad turmam equestrem praetorianam adscriptus, rursus maxima cum assiduitate literis me addixi.

Per studiorum meorum tempus his Virorum Illustrissimorum ad cineres usque colendorum interfui lectionibus:

Ethicen, logicen, psychologiam et mathesin Beat. Kiesewetter me docuit. In botanice Ill. Rudolphi, in zoologia Celeb. Lichtenstein, in rebus physicis, chemicis et pharmaceuticis Cel. Turte et Ill. Hermbstaedt praeceptores mihi fuerunt. Anatomiam universam comparatam et pathologicam, nec minus artem, cadavera dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape mihi tradiderunt. In physiologia Ill. Rudolphi, Gener. de Koenen et Cel. Osann, pathologia generali et semiotice Cel. Fr. Hufeland praeceptores mihi fuere. Pathologiam specialem Ill. Horn, materiam medicam Gener. de Koenen, artem formulas medicas concinnandi Ill. Knape me docuerunt. Therapiam, tam generalem quam specialem, Ill. C. W. Hufeland, Ill. Horn, Ill. Formey et Cel. Fr. Hufeland mihi tradidere. In chirurgicis Ill. Graefe, Cel. Kluge et Ill. Rust audivi; in arte fascias applicandi Ill.

Mursinna praeceptore gavisus sum. In arte obstetricia Cel. Kluge, in doctrina de oculorum morbis, in arte operationes rite exercendi Ill. Graefe et Ill. Mursinna me instituerunt. Medicinae forensis praeceptor mihi fuit Ill. Knape.

Exercitationes clinicas frequentavi tum medicas tum chirurgicas Ill. C. W. Hufeland, Berends, Horn et Graefe ducibus.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine peractis, defensaque dissertatione, spero fore ut summi mihi conferantur medicinae et chirurgiae honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Bilis secretio a vena tantum portarum absolvitur.

II.

Morborum acutorum non in totum certae sunt ·aedictiones, neque salutis, neque mortis.

III.

Carditidis signa tam dubia atque ambigua sunt, ut › aliis thoracis inflammationibus vix discerni possit.

IV.

Topica venaesectio saepissime ideo nocet, quod ıte generalem sanguinis detractionem instituitur.

V.

Aneurysmatis per ligaturam curatio compressioni t praeferenda.